



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

In Capvt XV. Qvæstiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

dimicandum est. ipsam pacem accusavit, cum ait. Adhuc illo longe agente legatione mittens rogat eos, que sunt pacis i signifi-
 fuans minas imminendum a Diabolo tentationum, non susti-
 nere homines, qui non renunciant omnibus que possident, &
 pacem cum eo facere consentiendo illi ad committenda peccata.
 Turrim qui per illam edificare, & contra regem illum dimica-
 re, esse discipulum Christi est: habere autem sumptus ad perfi-
 ciendam turrim, & habere fortia decem milia contra viginti
 millia regis: renunciare est omnibus que sunt eis.

Origenis
 sententia.

§. 7. Origenis tract. 19. in Mattheo est dissimilis ex-
 polito, tamen ad perfectionem refert: Turrim autem
 edificatam neq. ascensum habentem, & eminentiam, & al-
 titudinem super vineam ipsam, & sepem & torcular existimo
 verum esse de ipso Deo, & de dispensationibus Christi, & tem-
 plum diximus sensus, qui habentur in eo. Et de tali turre puto di-

cere Saluatorem in eo loco Evangelij. Quia vestrum volens tur-
 rim adificare, non prius computat si potest prius ponere funda-
 mentum, & consummare, ne forte incipiant vijentes deridere
 eum qui non consummavit: quoniam qui vult dicere de Deo,
 deo et cor sibi rare si potest, incipiens omnia que possidentur
 Dei expositionem consummare: ne forte insipientes dogmata pi-
 etatis, imperfectam relinquant turrim vobis de Deo, & coro-
 nam non superedificet ei. Si enim non edificaverit ei coronam,
 caeter aliquis ab intellectu Dei scandalizatus, & meretur.
 Hanc vineam tradidit colonis, id est populo ante nos, tam Sa-
 cerdotibus quam laicis, & profectus est ad suam profectum, da-
 dans occasiones colonis ex eo quod ipse plantavit, & circumpos-
 suit sepem, & fodit torcular, & edificavit turrim, pro-
 ferentis fructus, cum appropinquasse rem-
 pus fructuum.

C A P V T XV.



Rant autem appropinquantes ei publicani, & peccatores, ut audirent illum. 2. Et murmurabant
 Pharisaei & Scribae, dicens: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis. 3. Et ait ad illos
 parabolam istam dicens: 4. Quis ex vobis homo, qui habet centum oves: & si perdidit unam
 ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, & vadit ad illam, qua perierat, & conuen-
 niat eam? 5. Et cum inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens: 6. & veniens domum conuocat ami-
 cos & vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, qua perierat? 7. Dico vobis, quod
 ita gaudium erit in caelo super uno peccatore penitentiam agente, quam super nonaginta novem iustis, qui non
 indigent penitentia. 8. Aut qua mulier habens drachmas decem, si perdidit drachmam unam, nonne accen-
 dit lucernam, & euertit domum, & quaerit diligenter, donec inueniat? 9. Et cum inuenerit, conuocat amicas
 & vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inueni drachmam, quam perdidit? 10. Ita dico vobis, gau-
 dium erit coram angelo Dei super uno peccatore penitentiam agente. 11. Ait autem: Homo quidam habuit
 duos filios: 12. & dixit adolescentior ei illi patri: Pater, da mihi portionem substantiae, qua me contingit. Et
 diuisit illi substantiam. 13. Et non post multos dies, congregatis omnibus adolescentior filius peregre profectus
 est in regionem longinquam, & ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriose, 14. Et postquam omnia con-
 summasset, facta est fames valida in regione illa, & ipse cepit egere: 15. & abiit, & adiecit vni cuiusdam regni
 illius. Et misit illum in villam suam, ut pasceret porcos: 16. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas por-
 ci manducabant, & nemo illi dabat. 17. In se autem reuersus, dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei ab-
 undant panibus, ego autem hic fame pereor. 18. Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccauim
 caelum & coram te: 19. iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenarijs tuis. 20. Et
 surgens venit ad patrem suum. Cum autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est,
 & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum. 21. Dixitq. ei filius: Pater, peccauim in caelum & coram
 te, iam non sum dignus vocari filius tuus. 22. Dixit autem pater ad seruos suos. Cito proferte stolam primam, &
 induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius: 23. & adducite vitulum signa-
 tum, & occidite, & manducemus, & epulemur: 24. quia hoc filius meus mortuus erat, & reuixit: perierat, &
 inuentus est. Et ceperunt epulari. 25. Erat autem filius eius senior in agro: & cum veniret, & appropinquaret
 domui audivit symphoniam, & chorum: 26. & vocauit vnum de seruis, & interrogauit, quid hec essent. 27. Ille
 dixit illi: Frater tuus venit, & occidit pater tuus vitulum signatum, quia saluum illum recepit. 28. Indignatus
 est autem, & noluit introire. Pater ergo illius egressus, cepit rogare illum. 29. At ille respondens, dixit patri suo:
 Ecce tot annis seruaui tibi, & nunquam mandatum tuum praeterui, & nunquam dedisti mihi locum, ut cum ami-
 nicis meis epularer: 30. sed postquam filius tuus hic, qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus, venit:
 occidisti illi vitulum signatum. 31. At ipse dixit illi: Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt: 32. qu-
 lari autem, & gaudere oportebat, quia frater tuus mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus est.

IN CAPVT DECIMUMQUINTVM
 ARGUMENTVM.



Res continet parabolas caput decimumquintum, ouis perditae, & boni pastoris
 humeris relatæ; drachmæ amissæ, & inuentæ; filij prodigi, qui dilapidatis omni-
 bus in gratiam receptus est: omnia eo pertinent, vt Pharisæorum murmuratio-
 nes compescat, ne indignentur peccatores recipi ab eo, qui venerat propter pec-
 catores: id vero indignius erat, quod illi peccatorum familiaritatem obijciebant, multo erant
 alijs peccatoribus pertinaciores, eo ipso nequiores quod se veluti iustos alijs praeferebant. De
 filio prodigo in Syriacâ Ecclesiâ legitur feriâ quintâ hebdomadis praecedentis ieiunium.
 Exceptâ parabolâ de oue perditâ, quæ est Matth. 18. 12. cætera solus Luca sunt.

VER-

ADAMIS
 112
 + EUANIS
 C. VI
 138

VERSVS 1.

Erant autem appropinquantes ei publicani & peccatores, ut audirent illum.

QUESTIO I.

Cur peccatores & publicani admittuntur?

§. 1. **M**eritoria primarium opus est, non fugere peccatores, sed eos recipere, cum illis manducare, & bibere: consuetudine enim eos & facilitate allicit; nihil enim in Deo admirabilius, quam tolerantia peccatorum, nisi in eodem etiam erga nos caritas, suauitasq; & cura seruandi appareret. Familiaritas enim in peccatore laudatur, si conuertendi eos desiderium habet, & effectum.

Sapienter Basil. mor. reg. 52. c. 2. *Οπ δει τλω προς τους μετανοηστας σωλησαν καλα δεχεται, ον αλλο τον εις κεν, ο δε εις μετανοια αυτους ανακαλιουσαι, ο παρ αυ τρεπον δουαρον, η χαρις α μαετιας. Quod ob eam causam tantummodo venire cum peccatoribus in congressum debemus, ut eos a peccata viuendi via ad meliorem frugem reuocemus, idq; eo modo, quem nobis Dominus precepit.*

§. 2. In Phariseis improbus zelus pretextu iusticie & religionis se prodit; cum enim solum calumniandi studio omnia agerent, hoc satis erat ad excusatione, non recipere nisi penitentes. Quod Græca exemplaria nonnulla addunt, *πδντες* omnes, errare constat: neq; in oēs accesserunt, ne maior quidē pars. Itaq; ex Latino & Syro corrigēda illa sunt. Correpta editio omisit.

Contra hos Dei nobis benignitas Christus cōmendat, & parabolas tres adfert. Vbi in Syro notandum v. 1. haberi, *Et dixit eis heshuah* repetito nomine hebræorum more. Versu autem 4. additur, quæsiturus, seu quætere. *כעל בארץ* *Pa zel baghe* & vadat quætere.

VERSVS 7.

Dico vobis, quod ita gaudium erit in celo, super vno peccatore penitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis qui non indigent penitentia.

QUESTIO I.

Quomodo Angelis gaudium erit super vno peccatore?

§. 1. **G**audium Angelorum quod ex diuino intuitu percipiunt, idem semper, constans ac immotum manet, gaudia vero alia ex reb. quæ accidunt, noua adueniunt. Siquidem de Angelis humano more loquamur, non est difficile intelligere, quomodo de inopinā peccatorū penitentia gaudeant. Nos vbi amilla recuperamus, si ex morbo conualescimus, vehementer lætamur. An idē faciant Angeli disputari solet. Nonaginta nouem iusti, magno feruore in Dei obsequium incumbendo, eleemosynam largiendo, omnibus renunciando, fortiter pro Dei gloria, constanterq; moriendo, videntur maiorem Angelis gaudendi occasionem offerre, quam vnus peccator agendo penitentiam. Maius est enim bonum iustorū, quam penitentia peccatorum, amplius igitur de eo gaudendū est. Nec responsio solida videtur, cum nouum gaudium aiunt ex peccatorum conuersione, non ex iustitia sanctorum. Est enim & illud nouum. Cum enim Paulus in medium progreditur, & pugnat, cum Andreas ex erute concionatur, Laurentius de craticula tyranno insultat, nouum iustitatum est, & magnum bonum, nouā triumphī læticia pensandum est.

Neq; hoc locum habet, vt dicamus Christum de Angelis more humano loqui. Nam ex gaudio Angelorum probat homines gaudere oportere, quod argumentum infirmum est, si apud Angelos non est vere illud gaudium.

Magis, omissum est more hebreo vbi *וזהר* solet omitti, & apud Græcos *μαλλον*. Hoc loco in Syro tantummodo est *אם*, hoc est, *quam*, vt in Græco & Latino.

§. 2. Non desunt, qui conferant insignem peccatoris penitentiam cum iusto, ut tempore, atq; eam præferri dicant. Quæ quidem res minime dubia est, maius enim gaudium de penitentia Pauli, quam alicuius innocentiis pia quidem, sed non admodum feruente conuersatione.

Peccatoris conuersi feruor reperi iustorum conseritur.

§. 3. Mihi omnino propriè verba Christi accipi videntur, & conferri peccatoris penitentiam, cum quibusdam iustorum operibus, atq; ex ea maius esse gaudium Angelorum, quam ex heroicis actionibus sanctorum. Eius rei originem non aliunde inuestigādam, quam ex natura charitatis existimo. Amor est Angelorum in omnes homines sincerus, magnus, constans, in iustos & peccatores, quorum conuersionem adhuc nondum desperarunt. De profectis heroicisq; factis sanctissimorū exultant, sed maius gaudium est de vno peccatore penitentiam agente, quāuis illa penitentia non adæquet precium maximorū operum, quæ summa caritate faciunt homines iustificati. Ratio vt dixi est ex natura caritatis, alieno bono gaudentis. Non enim tantummodo boni natura delectatur, & res ipsas intuetur, sed eorum, qui amantur, conditione mouetur: nam de malo vitato, aut bono in miseris plus gaudemus, quam de augmento bonorum in felicibus: ita enim ordo caritatis exigit, vt maiore conatu miseros adiuuemus, quam felicitatis incrementa promoueamus. Nec sanctos viros ita sollicitos fuisse videmus, vt sanctorum pietas crederet, quam vt peccatores conuerterentur. Qui minimo in cœlis gradu est, beatus est: qui regno excidit, magno in tormento est. Non tanto detrimento ille caret maiore gloria, quanto alter qui cruciatibus tristissimis lancinatur. Similem videmus in patient. b. affectum, de plurium filiorum sanitate gaudent, at si cœcum, aut claudum, aut phreneticum habeant, eius sanatione plurimum læticia cōcipiunt, quia pluri æstimant eum liberati tantis malis, quam alios habere prospectos successus. Sic inquit v. 10. *quæc videri*, alii libri *scilicet*, ita Latini libri habent, & Syri *וזהר* *hebreè* *quæc videri*.

Caritas de maiore bono proximi non comparo magis gaudet.

§. 4. De gaudio Angelorum aliam etiam causam S. Greg. refert: quod nempe plerumq; peccatores magni, feruenti caritate ceteros præcedant, qui minus peccant, quod etsi in multis cernere licet, non tamen in omnibus contingit, vt ante dictum est.

Maior etiā est gloria misericordie liberare peccatore, quam iustum augere iustitia.

§. 5. Cyprianus epistol. 47. ad Cornelium vocat summum gaudium. *Amus dei læticiam de nostris possimus sensibus æstimare, nam cum istis ad litteras vestras, quas de eorum confessione misistis, lætatur sit omnia fuerit unum numerus, & summa a caritate hunc nuncium communi gratulationis exceperit: quid illi vbi res ipsa & præsens læticia sub oculis omnium gerebatur? cum enim Dominus in Euangelio suo dicat esse summum gaudium in celo super vno peccatore penitentiam agente: quanto maius est gaudium in terra pariter & in celo, super confessoribus ad Ecclesiam Dei cum gloria sua & cum laude redouitibus, & redeundi viam ceteris exemplis suis fide & probatione faciuntibus.*

Sanctus Ephrem de penitentia, de illa læticia sic loquitur. *Est vero & differentia operationis, & gratia. Omnes siquidem pasunt: sed plus cunctis, penitentia festum Deo agit, quoniam & in Euangelio dicitur, quod magis gaudeat Deus super vno peccatore penitentiam agente,*

Quam super oraginta nouem iustus. Vestum excitat Deo penitentia: quam & calum mouet ad epulas: & Angeli latantur dum penitentia ipsos mutat ad grandum: cunctiq; al fies ordines epulantur, per penitentiam se secreteantes. Non in vitulo immolat, non oues: sed hominum peccatorum salutem, in exultationem apponit. Peccatores penitentia immolat, sed rursus eos viuificat. Mortificat ipsos: at denuo a mortuis eos resuscitat. & quo pacto: aut? Peccatores accipit, & iustos eos efficit. Hec mortiferam: hodie Christo per penitentiam viuunt. Hec alieni & inimici: hodie domestici & amici Deo. Hec iniqui & hodie sancti. Magna forma est penitentia, carissimi: es accipit, & illud in aurum commutat: plumbum tollit, & argentum reddit. Vide eundem orat. aduersus impios hereticos.

Educatio occasio conuersionis.

§. 6. Idem notauit ex molli educatione occasionem penitentia accepisse. Sic in uis illi in Euangelio affectus fuit: quippe qui primus sub late hereditate paterna, in longinq; iam regionem profectus, substantiam cum meretricibus absumpsit: & in deliciis ac epulis cum turpiter versaretur, consumpsit omnes facultates, & non potuit ferre, ne ad modicum quidem, solita denuo: nam penitentia suauitatem prioris eius percipiens uia, ad reprehensionem conuersa est, quod non casu aliquo illud iter susceptum esset, sed inimici alius dolo & deceptione. Unde u tam optabat, quam diu desiderat am: & cum non ferret afflictiones, reprehensionem tulit conscientie. Mollis uer educatio, conuersionis causa existit, ipsumque uel inuitum perduxit ad pietatem. Quid ergo dicit adolescens? Ibo, inquit, ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccauit in celum, & coram te. O penitentia sapientiam. O artificiosam dispensat omem: quia nullam profus iacturam a Deo fieri sinit penitentia: nam aut longanimitate expectando, aut dissimulando, aut hortando, indemnitate possessorum tuetur. Sustinuit penitentia, adolesentem decepti atq; seduci: insultauit ipsi Diabolus: fuit in eo quod uoluit, penitentia quiescit, reprehensio conscientie subicit, iussus est a penitentia, tandem non in fraudem ac perniciem in iucere: & ubi tempus opportunum reperit, tanquam mater, sua viscera expandit, ipsumq; amplectitur mediū, & e gremio nouerca, id est, uoluptatis, auellit eū, ut matris pietati restituit. Sicut quis draco pro abei obedientibus sibi: vitricus enim cupit, alieni filius non parit. Suadet paternam bonam male abigurire, dormientibus uariarum uirarum offerit simulacra: expergescitosq; illudit, cernens ipsos nudos, ac pauperes, O uasritiem atq; calliditatem Draconis. Sic quoque primos parentes Adam & Euam nudauit: cum enim diuinitatem eis promississet, instar uermium eos in terra uersari effecit, derudans ipsos. Nisi esset penitentia, iam dudum humanum perisset genus: Nisi cito manum de sensibus porrexisset: non sane iam mundus consisteret. Dicit igitur adolescens: Pater peccauit in celum, & coram te. Agnouit patrem, qui peccauerat filius, conuincens esse vitricum & insidiatorem, qui eum seduxerat. Vidit dolum, cognouit imposturam; accurrens ad penitentiam, uesit ad matrem, esuriuit diu, filiquis uictitans: sitiuit diu, in cheno se cum porcis uolucans: uerum penitentia, instar matris benigna, mammillas adnouens, rursus adolescentem tanquam adhuc infantem lactabat. Pane eum per fidem enutriat, & inuenescit em pascit: quia peccatum uires eius absumpsit, & nisi lac adhibuisset, sanitatem reuocare nequidisset: plane enim ex turpitudine debilitatus erat, sensu mentis naturali consumpto.

QUESTIO II.

An Angeli gratiam habuerint ex Christi meritis?

Angeli a Christo gratiam habuerint.

§. 1. Nonaginta ones in eremo relictas, interpretantur Angelos, illis Christi obedientia gratiam, aut gloriam nullam datam. De Angelis spiritaliter Ambrosius, Theophylact. Beda, Anselmus accipiunt, quae expositio etiam admittatur, non tamen recte institutum suum conueniunt quidam Scholastici, de Angelis sine Christi merito seruatis, ut Palud q. 1.

2. 3. Durand. q. 2. Alenf. p. q. 12. Quibus respondendum est, literalem sensum de Angelis non esse, si tamen quispiam contra nitatur, facilis est responsio, contrarium facile confici ex parabola. Oues enim quae relinquuntur, non ideo relinqui, quod non illas etiam pascat ille, qui unam quarit, sed quod ad tempus maiorem curam exhibeat, quae maioris eget sollicitudinis. Oues enim nonaginta nouem, si Angeli sunt, & pastor Christus est, eos igitur ille pascit, eius beneficio aluntur, ei obtéperat, ille caput est, per eum vegetantur, licet in eremo bene custoditas deserere uideatur, ut unam quærat. Quis enim non intelligit Dauid cum uiso & leoni ouiculâ eriperet, bellua occideret, aliarum penè ouium, imo sui oblitum, non tamen ideo non fuisse aliorum pastorem?

Hic igitur locus si de Angelis agit, maximè confirmat, Christum esse Angelorum pastorem, ideoq; caput, & quod confectarium est, gratiam quoq; & gloriam illis conferre.

§. 2. Eodem pertinet similitudo drachmæ amillæ. V. S. Verit, & q. 6. non euerit, ut magni quidam interpretes legerunt. Inter ceteros Gregorius. Sed ille facile excusatur, qui interpretatur, per uerbat. hom. 3. 4. in Euang meminit tamen aliis locis esse, emundat. Ambros. mundans domum suam.

Quod noster ueritioram Angelis, in Græco est, πικρὸν τῶν ἀγγέλων, in conspectu Angelorum. Beza, quod Angelos, quod non est clarius, quam quod ipse contempsit. Nam si obscurus est in Latino hebraicis, pariter etiam in Græcâ lingua obscurus est.

QUESTIO III.

Quis filius prodigus?

§. 1. Historia nulla est difficultas, applicationes uariae, Literalis ista est. Deus duos filios habet, Phariseos iustos, ut uideri uolebant. Publicanos peccatores. hos penitentes in gratiam recipit, & plus charitatis, quam Phariseis exhibet. Queruntur illi tam perditis illum honorem habere, excusat Christus, illis tam magno bono redemptus totam domum gaudere oportere. Nam si pater quispiam duos tales habeat filios, quales narrat, patere facturus erat, si penitentem reciperet in gratiam: multo ergo magis id diuinae misericordiae conueniens est.

§. 2. Multae sunt allegoriae huius loci, a uariis scriptoribus adductæ, de quibus legi alii possunt. Quidam maiorem filium putant Iudaicum populum, minus gentilem. August. quæst. Euang. quæst. 33. lib. 2. Hiero. ep. ad Damascum resellit. Nam populus Iudaicus legem non seruauit, nec dicere poterat, nunquam contra Dei uoluntatem fecisse. Gentes non fuerant in gratia. Deinde multi Iudeorum abierant, inter gentes erant nonnulli Dei cultores. Non ignoro responderi posse. Totam Iudeorum Ecclesiam nunquam defecisse, nam semper in cæsa fuerunt, qui cultum uerum tenebant. Gentium autem primos auctores gratia excidisse.

§. 3. Quidam maiorem filium Angelos, minorem homines arbitrantur, quamuis enim multa conueniant, non tamen omnia. Non enim poterat Angelos inducere murmurantes de filio in gratiam recepto, quos ante dixerat, magis gaudere de uno peccatore penitentiam agente, quam de nonaginta noue iustis.

VERSUS 12.

Et dixit adolescentior ex illis patri: Pater da mihi portionem substantia, quae me contingit, & dimisit illis substantiam.

§. 1. Por.

ADAMI
113
+ EUANG
CUM

QVÆSTIO I.

Quæ pars substantiæ?

§. 1. Portionem substantiæ quæ me contingit: *τὸ ἐμὸν μέρος τῆς οὐσίας*, alii *τὸ κατ' ἑμὸν*, quod uisum est, non iterum uisum est, phrasi iuriconsulorum, qui partem alicui oningentem vocant. Ita Caius, Syrus habet, *da mihi portionem, quæ me contingit ex domo patris*. Substantiam paulo post vocat *τὸ σὺν*, quo uita sustentatur.

§. 2. Videtur id ille petere, quod patres dare nec debent, nec solent, ideoque non esse ex consuetudine quod narratur. Respondet Maldon. Christum ut exemplo inuitato, & exhibere patrem ualde indulgentem, quia parabola requirebat, ut filius diceretur bona dissipasse, dari ergo illa oportuit. Patrem uero esse oportuit, qui Dei typus esset: is uero ita munera sua distribuit, ut plerisque hominibus liberum uisum concedat. Vera est illa responsio, non enim in parabolis requiritur ut illa fiant, sed ut possint fieri, & aliquando contingant. Non tamen existimo ab orientalium consuetudine eum abdicandi modum omnino abhorre. Crebro enim filios aliquos abdicant parentes: aliquos omnino hereditate excludunt, ob delicta in iure civili expressa.

Aliquando legitimam illis duntaxat largiuntur, sepius dum uiuunt, suam cuique hereditatem assignant, quam sint adituri, ne fratris post mortem litib. sit occasio: adeo quidem ut quibusdam hereditatis præcipuam partem, cæteris munera conferant. Ita fecit Abraham Gen. 25. 5. *Deditque Abraham cuncta quæ possederat, Isaac: filius autem conubinarum largitus est munera, & separauit eos ab Isaac filio suo, dum adhuc ipse uiveret, ad partem orientalem.*

Uitatum est hoc in eminentissimis & nobilissimis familiis, ne stirps ad pauperatam redigatur. Factum erat paulo ante ab Herode. Fieri igitur potuit, ut postquam pater distribuit cuique suam partem, minor, eam sibi paratâ pecuniâ repræsentari petierit, ut negotiando seruare & augere rem posset, neque enim quid adurus esset, sed omnia alia prætendebat.

§. 2. Pecuniam igitur ille dissipauit: quæ uero bona sint, quæ a peccatoribus dissipantur, quorum figura prodigi pecunia erat, non est facile explicare. Bona illa quæ naturalia sunt, ut liberum uoluntatis arbitrii, facultas intelligendi, memorandi, aliaque a Deo accepturunt oēs, nec peccando perdunt, nec redeundo recuperant. Alii bonos mores seu uirtute in perdidisse aiunt, ut Theophyl. aliiq. Facile quidem est intelligere, quomodo ille uiuendo male bonos mores perdidit, non tamen quomodo eos a patre petierit, tuleritque, sic enim dicendum esset, fratrem natum maiorem, bonos mores non petiisse, nec a patre accepisse. Qui docent Dei imaginem ab eo perditâ, eos difficultates easdem dissoluere oportet, Imago enim illa uel in naturæ, uel gratiæ bonis relucet, itaque in alterius sententiâ incommoda incidit, quæ eam tuctur.

§. 3. Duobus igitur modis responderi potest. Primus est, ut omnia omnibus applicentur, & bona naturæ dissipasse dicatur, qui illis abusus est. Bona gratiæ, qui amittit ut accipere bona gratiæ sit, ea quasi sua æstimare, non ut ad Dei gloriam. Alter modus est, ut non omnia omnibus applicentur, sed tantum describatur adolescens perditissimus, idque ex factis particularit. Nam primo longa illi uita est patris senectus, ante diem hereditatem petit, patrios inquit in annos. Deinde substantiæ suæ partem postulat, cum sit minor natus: quod si maior idem faceret, iam pater aut pauper, aut filius obnoxius esset. Tertio, subesse patri, & ab eius imperio pendere, contra legem naturæ recusat. Quarto, collectis omnibus abiit in

regionem longinquam, iniurius in patrem & fratrem multis modis, etiam eo ipso, quod si quid post mortem forte relinqueret, hereditate proximos priuaret. Quinto, dissipat illa bona in uisum luxuriosè uiuendo. Sexto, ad extremam egestatem redactus, nondum uerè pœnitet, sed alienæ seruituti se mancipat, abiectissima quæque suscipit, ut uitam tueatur: cum autem negatâ porcorum escâ, fame moriendum sibi uideret, tum miserabili necessitate de patre cogitat. Hunc talem pœnitentem & dicentem, *Non sum dignus uocari filius, sed fac me sicut unum ex mercenariis tuis*, pater misericors recipit, nec obiicit, quis fuerit, pietatem præsentis collaudat. Hoc, inquit, si pater, qui & ipse malus est, facit: quid miramini si ego peccatores pœnitentes recipio? Nequissimo filio indulget pater, quia mutatum uidet, lenis in sanguinem suum, cur non Deus suarum creaturarum misereatur? Nonne super omnia opera eius est misericordia illius? Hæc expositio, quæ omnibus quæstionibus, quæ collatione rerum singularum oriuntur, liberat, optima & uerissima censenda est. Nec tamen vlla particula ociosa est: omnes eo tendunt, ut significent prodigum omnia iura, naturæ, & ciuilia uoluisse, nullam fuisse in eo causam, cur cum pater reciperet, nisi benignitatem parentis, quæ res plus quam uera est, si de peccatoris cum Deo merè gratiâ reconciliatione agamus. Nam prodigus ille sine patris auxilio ad eum rediit: peccator ne rogare quidem sine Dei adiutorio potest.

§. 4. Ambrosius ait patrimonium dari petentibus, nullam enim Dei regno ætatem esse infirmam, abire in regionem longinquam esse moribus separari, ibi famem honorum operum sensisse, adhuc esse dæmoni, inanibus uentrem expleffe uentis.

De filio prodigo Hieronymus ad Damasum multa præclara habet, quem diligens lector consulat.

VERSUS 15.

Et abiit & adhasit uni ciuium regionis illius. Et misit illum in uillam suam ut pasceret porcos.

QVÆSTIO I.

Cui adhasit?

§. 1. **V**ni ciuium. Syrus *מִן בְּנֵי מְדִינָתָא* *men bene medinecha*, vni ex filiis ciuitatis, ita fieri solet, ut qui filius esse non uoluit, seruus esse cogatur. Patrem contempserat, duro & crudeli Domino agglutinatus est, non amando, sed obsequendo, blandiendo, adulando, laborando, porcos curando, seruorum omnium Vicarius, Miserrimus adolescentis nobilis & opulenti status, cui antea inter delicias paternæ domus aderant omnium obsequia. Hæc etiam pars est ex moribus desumpta. Decoctores enim se in seruitutem vendere, aut si animosi essent, ire aliquo militatum, uel etiam ad gladium se auctore solebant.

§. 2. At ne sic quidem salutem inuenit: Dominus cum liberali & humana seruitute non est dignatus, sed in agrum misit, ubi erat durissima seruentium conditio. Minatur stomachabundus herus liberum nimum seruolo.

Accedes opera agræ nona Sabino.
Quin & iure ciuili cauetur de seruis, qui sub priore Domino mitiore obsequio fuerant exerciti, ne ad opera rustica mittantur.

§. 3. Duro igitur Domino mancipatur, qui benigni patris spreuerat frugalitatem, & imperium.

Ante

Ante enim luxuriose vixerat seu prodigè: nam *αὐτῶν* prodigè viuere dicitur, qui nihil tibi seruat, aut qui est *αὐτῶν* qui ipse seruari non potest. Nec audio eos qui textum corrigunt, ipsi corrigendi. *αὐτῶν* enim Paulus vocat luxuriam, cum ait, *ἐν τῷ οὐρανῷ* esse *αὐτῶν*, in quo est, inquit, luxuria.

§. 4. Contemptui additum supplicium, ut ne filiquas quidem quas porci edebat, acciperet, tantū aberat ut penit illi crederetur: itaq; cū certis hōis porcis proicerentur, ipse quoq; tum colligere, & inter porcos edere cogebatur, q̄ vita morte erat intolerabilior.

§. 5. Siliquas alii fabulas, alii Philosophorum doctrinas interpretantur. verum generatim dicendum est hoc simili designari, quā afflictā sit eorū conditio, qui vitis seruiunt, qui in, nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora. Siliquas Ambr. fabas, pisā, aliaq; id genus legumina putat. alii non granis, sed vaginis consueuissē uti, Maldonatus ait esse, quas Hispanialgarouas vocant, quas & porci & homines comedunt. Plin. l. 15. 24. grana reuici, vaginas edi. Quod ad legumina attinet, Porci fabis ali solent, est enim quoddam fabarum genus, quod porcinum Germani appellant. Deinde fabarum & pisorum quorundam vaginis vescuntur & homines, etiam delicati.

Κεκορυ Græcis dicitur corniculum, ad eorum similitudinem dicitur siliqua, leguminum folliculus, & arbor, de quā Columella l. de arbor. c. 5. dicitur, & sic fœnum Græcum.

§. 5. De fructu siliquarum accipio illud Iuuen. sat. 11. *Experire hodie nunquid pulcherrime dicitur Persice non praesentem viui, nec moribus, & re Sed laudem siliquas occultus ganeo: pulvis Corams aliis dicitur puero, sed in aure placens.* Siliqua est arbor Plin. l. 13. Quin & Persius *Inuigilat siliquis, & grandi pasta polens.*

VERSVS 17.

In se autem reuersus dixit: Quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereō.

QUESTIO I.

Quo se argumento ad penitentiam incitat?

§. 1. **I**n se reuersus est, seq; ac suam miseriam considerans, gratiā donat: non enim sine Dei gratiā ad penitentiam iniuria peruenit. Quos, inquit, mercenarii abundant pane, ego fame pereō? In domo, alia omittunt, alia ponunt, Sixtina editio retinet & Syra, sed Græca non habent. *ἐν τῷ οὐρανῷ ἀποδύουμαι.* Ego vero fame pereō: quædā exemplaria intericiunt *ἐν τῷ οὐρανῷ* ita Latinus & Syrus textus.

§. 2. Timor salutaris, quia inquit fame morior. Gradatio igitur illa est: consideratio pristinae felicitatis, & eius cum praesenti miseria collatio. Deinde timor mortis ex fame. Tertio, spes, si non veniat, salte melioris status. Quarto, dolor, verecundia de peccatis, & deprecatio.

VERSVS 18.

Surgam & ibi ad Patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cœlum & coram te.

QUESTIO I.

Quid inter Patrem & Filium actum?

§. 1. **P**eccaui in cœlum, & in te. Confessione eum & sui accusatione aggressus est. In cœlum hoc est contra Deum.

§. 2. Fac me sicut unum ex mercenariis tuis, non ita sunt ista comparanda, quasi iusti sint aut esse velint mercenarii, fultraq; laborant, qui ista & exponunt. Sed ille sensus est. Filius nobilis statum deterioris fuisse, quam mercenariorum, qui in domo patris erant, ideoq; ad eum se aspirare, ut filius diceretur, non iam postulare. Mercenarii conditione contentum ait: nam impudens petitio videri posset, si in pristinum statum, tanquam filius recipi postuleret, ideo tanquam hæres, cum hæreditatem iam comesset.

Ita quoq; qui florentissima conditione demum seruiunt, miseres sunt, quibus libet filiis Dei etiam in hac vita. Martyres in carcere, & in equuleo gaudio abundant, improbi in rosa curis pungentibus lancinantur. Verum hic tantum ostenditur patris benignitas, qui filio propria sententiā damnato, tam propitius fuit. Quod ait in cœlum peccasse, habitatores cœli inrelligit.

§. 3. Vidit eum cum à longè esset, & miserabili specie, macilentiaq; pannosum, verecundantem antequerit. Quis enim tam miserabilis adolescentis non misereretur, aut quis misereri debuit, nisi pater? Maior Dei est in peccatores bonitas, Ita. 65. 42. *antequam clamant ego excaudiam.* Misericordia patris certat cum filij modestia. *Non sum,* inquit, *dignus vocari filium tuum, sed fac me sicut unum ex mercenariis tuis.*

VERSVS 26.

Et vocauit unum de seruis & interrogauit, quid hac essent.

§. 1. **Q**uædam Græca habent, *τῷ πατρὶ δὲ τῶν* puerorum seruorum. Sed ex margine in textum irrepsit. Et illud notandum v. 21. *ἡ ἐκ ἐν ἡμῶν* & *ἐν* particulam *ἐν* multa omittunt, Syrus addit, correpta omittit.

§. 2. Iubet dari vestem & anulum ingenuitatis insignia. Græcis *σάβη* quamlibet vestem indicat: toga igitur eum & anulo adornat, ut ostendat, se eum in gratiam recipere, & in integrum restituere. Pater modo iusti restituit, sine dedecore peccatorum Deo iunguntur: Gloriæ enim magnitudo, omnem retro turpitudinem peccatorum abolet.

Cito inquit proferte, Græca exemplaria variant, alia habent *τῶν*, alia non habent. Syrus non habet.

§. 3. Deniq; fratri seniori peccatorem exculat, & seipse, quod nimis in eum liberalis esse videretur.

VERSVS 13.

At ipse dixit illi, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt.

QUESTIO I.

Filii obedientis esse omnia.

§. 1. **S**ecedere, etsi nihil acceperit, non hædum, non vitulum, nihil tamen illi deperisse, illi omnia superesse, si comparat, sibi comparasse. De fratre gaudendū esse, quod gratia illi exhibita nihil primogenito nocet. Indiuitia enim parentis & filii bona erant. Ad laticiam etiam de fratris salute filium exhortatur.

V. 32. *Εὐφρανθήμεν, noster epulemur, proprie, gaudemus, παρὸντες εὐφρανθήμεν, noster quasi legeris, φήσωμεν ἡ εὐφρανθήμεν.*

QUESTIO II.

An quia mortuus erat, non poterit gratia cooperari?

§. 1. **P**areus lib. 6. de gratiā & libero arbitrio cap. 5. hoc

hoc loco abutitur. [At mortuus, inquit, non se dis-
ponit ad vitam, nec potest, nisi vim aliquam vitalem
ab excitatore suo recipiat. Hic, auditores, paululum
figamus pedem. Cum homo ante gratiam sit mortuus
similis, imo verè mortuus in peccatis: falsa igitur om-
nia, quæ aduersarius supra scripsit: hominè posse cre-
dere, & cooperari gratiæ, si velit: posse Deo pulsanti
aperire, si velit: gratiam efficacem, nihil esse nisi sua-
sionem moralem, qua Deus instar elegantis oratoris
nos trahat, quò velit. Nam profecto eloquentissimus
orator elegantissima suasionè non trahet mortuos:
sed opus est vitali virtute infusa: quæ proinde ad gra-
tiam efficacem necessario requiritur.] At vero cum
alitis locis de morte illà dictum sit, non repetà illa, quæ
alias explicui, Hunc solum locum urgeo. Et primo
quidem mortem spiritalem similè esse corporali, non
in omnib. planè circumstantiis, sed quibusdam. Itaq;
cum in morte spiritali, maneat vita corporalis, qua-
dam potest homo operari intelligendo, videndo vo-
lendo. Deinde recipere potest dona quædam spirita-
lia, vt in Deum credat, speret, non tamen ad iustitiam
illa sufficiunt; his tamen motionibus cooperatur, &
non suis viribus, sed Dei gratia sese disponit. Hoc in
prodigi exemplo clarissimum est. Mortuus ille pro-
cul dubio erat, nec desperat tamen, nec incediã vitam
finite cogitat: sed recordatur paternæ domus, & possi-
næ fatietatis, suamq; cum mercenariis patris condi-
tionem comparat. Deinde peccatum agnoscit, & ora-
tionem, quã patrem alloquatur componit, nec tamè
in integrum restitui petit, sed haberi tanquam merce-
narium se satis putat. Hæc omnia gratiã Dei facit mor-
tuus ille, sed Dei inquam gratiã, non suis viribus: Dis-
par ergo mortuorum est ratio, & tãtum in eo paritas,
quod quemadmodum mortui non possunt suis viri-
bus se vitæ restituere, ita nec peccatores ad iustitiam
redire.

Deniq; inconsideratè mortuus cum mortuo
prodigio filio comparatur peccator ea verborum pro-
prietate, vt quemadmodum in mortuo nihil sit præ-
parationis ad vitam, ita nec in peccatore ad iustitiam.
Neq; enim hic agitur de filio prodigo profus mortuo,
sed perduto. Perierat inquit pater, mortuus erat, reui-
xit. Mortuos dicimus, quorum vitam desperauimus,
qui in extremo sunt periculo. Vt autem locutionũ
modi sunt: Perii nullus sum. Hinc igitur aduersarii textu di-
festo retunduntur. Ea conditio est peccatorum, quæ
fuit filii prodigi, ita Deo mortui sunt & iustitiæ, sic-
ut ille patri, & gratiæ paternæ. At illa mors prodigi
non erat verè mors, & naturalis, sed metaphorica:
mors ergo eorum qui mortui sunt in peccatis, com-
paratur morti figuratæ, non propriæ: non igitur ex
hoc loco ex propriæ mortis accidentibus aut conse-
quentibus, de morte spiritali iudicanda sunt omnia.
Sed in eo tantum est similitudo, quod vt ille moriturus
erat fame, nisi ad patrem rediret, ita quoq; pec-
catores sine penitentiã profus morituri erant: & vt
ille sine patris benignitate in gratiam redire non po-
tuit, ita nec peccatores. Nam abiectio, preces, lac-
rymæ, qualor, miseriam redeuntis, nisi misericordem
patrem habuisset, in cassum itura erant. Mors ergo
prodigi, de quã pater eius loquitur, nihil officit,
quo minus Dei adiutorio excitante ad vitam dis-
ponatur.

Hanc comparationem pulchrè Ambrosius expo-
nit. Hæc apud se dixit. Sed non satis est dicere, nisi ad patrem
venias, ubi illum requiras: ubi inuenias? Exurge primo, qui
sedens ante dormiebas. Et ideo iucit apostolus. Surge qui dor-
misti, & exurge a mortuis. Iniquitas in talento plumbo se-
dit. Moysi dicitur. Tu autem hic stas. Stantes elegit Christus.
Exurge ergo, curte ad Ecclesiam: hic est pater, hic est filius, hic est

Spiritus sanctus. Occurrit tibi qui audit te intra mentis secreta
tractantem. Et cum adhuc longes sis, videt & accurrit. Vi-
det in pectore tuo, accurrit ne quis impediat, complectitur quo-
que, in occursum presentia est, in complexu clementia. Et quasi
quodam patris amoris affectu supra collum cadit, vt iacentem
erigat, & oneratum peccatis atq; in terrena deflexum reflectat
ad caelum, in quo suum querat auctorem. Cadit in collum
tuum Christus, vt ceruicem iugo exuas seruitutis, & collo tuo
iugum suauè suspendat.

§. 2. Tossanus ita in hunc locum commentatur. *Calumnia*
[Maldonatus Iesuita hoc loco fatetur, Ambrosium, Tossani.
Augustinum, Bedam, Bernardum, intelligere hunc
locum de amissa Dei imagine, & libero arbitrio
ad bonum, quo male vtens Adamus, & sese per-
didit & suum arbitrium. Interim illam sententiam
audacter reiicit tanquam sententiæ nostræ fauen-
tem.]

Vt autem appareat, quam iniuriam faciat Maldo-
nato, eius verba proponam. Solent plerique substan-
tiam quam dissipauit, liberum arbitrium, caterisque natu-
rales facultates interpretari. Sic Augustinus, Beda, Euthy-
mius, & Bernardus, in sermone de diuersis affectibus anima.
Quod est sano ab illis sensu dictum est, nolim equidem dice-
re, ne quis existimet per peccatum perire liberum arbitrium:
quod noui dicunt heretici, & Diuum Augustinum auctorem
se gloriantur eius habere sententiæ. Et vero, si velimus, Non est
quemadmodum hic auctores faciunt, singula subtiliter ser-
uari verba, reperiemus liberum arbitrium nec per partem il-
liberum per-
lam substantia, que minorem fratrem continebat, significa-
ditum.
ri: nec luxuriose viuendo dissipari potuisse. Nam antequam
iusuens ille à patre disceret, antequam suam ab illo heredi-
tatem peteret, liberum vtique habebat arbitrium. Natu-
ram enim habebat suam, à patre quidem acceptam, sed ta-
men habebat: & hereditatem, que præter, aut supra natu-
ram erat, petebat, & id ipsum, quod petebat, libero profecto
petebat arbitrio, poterat enim non petere, quemadmodum
nati maior si ater non petiuit, melius scilicet suo vsu arbitrio.
Non ergo liberum arbitrium petebat, quod iam habebat: non
ergo hereditas illa, quam petiuit, quam accepit, quam dissipa-
uit, liberum significabat arbitrium. Non perdidit autem
illud postea luxuriose viuendo, vel ex hoc ipso loco perspicuum
est. Quo enim modo post substantiam omnem suam dissipa-
tam, post grauem solutam amissionem deliberat? Quam merce-
nariis in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic
fame perco! Surgam & ibi ad patrem meum. Non enim
aut dicere, aut deliberare, aut facere patre libero potuit arbitrio.
Non enim perdidit, sed habebat.

Alioqui liberum arbitrium non sublatur, sed
infirmatum peccato docet Augustinus. De libero
arbitrio ille videtur libro 4. cap. 2. contra duas epi-
stolas Pelagianorum. Iam itaque Iuliani respondeamus liberum
Epistola. Dicunt, inquit, illi Manichei, quibus modo non com-
arbitrium
municamus, id est, totum illi cum quibus dissentimus, quia pri-
mi hominis peccato, id est, Adæ, liberum arbitrium perie-
rit, & nemo iam potestatem habeat bene viuendi, sed omnes
in peccatum carnis suæ necessitate cogentur. Manicheos ap-
pellat catholicos, more illius Iouiniani, qui ante paucos
annos hereticus nouus, virginitatem Sanctæ Mariae de-
struebat, & virginitati sacra nuptias fidelium coaquabat.
Nec ob aliud hoc obiebat Catholicis, nisi quia eos videri
volebat accusatores vel damnatores esse nuptiarum. Li-
berum autem arbitrium defendendo præcipit, vt de il-
lo potius ad faciendam iustitiam, quam de Domini ad iustitiam
confidatur, atque vt in se quisque, non in Domino gla-
rietur. Quis autem nostrum dicat, quod primi hominis
peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Li-
beras quidem perire per peccatum, sed illa quam paratissimo
fuit habendi, plenam cum immortali re iustitiam: propter
quod natura humana diuina indiget gratia, dicente Do-
mino, Si vos filius liberauerit, tunc vere liberi eritis.

vtiq;

Calumnia

*Non est libe-
rum arbitrium per-*

*Aug. negat
liberum
arbitrium
perisse,*

ritiq; liberi ad bene usq; vivendum. Nam liberum arbitrium usq; ad eo in peccatore non perit, ut per illud peccent, maxime omnes qui cum a. l. l. tatione peccant, & amore peccati, hoc eis placet quod eis libet.

§. 2. Concilium Tridentinum hinc timorem initialem, & servilem bonum esse docet. Tossanus hunc in modum contradicit. Falsum est ergo, quod servilitate ex determinatione Concil. Trid. sess. 6. c. 6. in hunc locum annotant: Timorem servilem esse salutare: & metu penarum, exemplo huius adolescentis, converti multos ad Dominum. Nam talis timor nihil Pharaoni, nihil etiam Iudæis illis contumacibus, profuit, de quibus Pl. 78. cum occideret eos Deus, querebant eum & revertentur: sequitur autem postea, & mentiebantur lingua sua, & cor eorum non erat rectum. Ut maxime ergo subigere soleat Deus nonnullos, & ad penitentiam preparare initiali quodam timore, ut loquitur Calu. l. 3. de Instit. c. 3. sect. 2. Ille tamen timor non est servilis, ut videmus in hoc ipso adolescente, sed ex sensu & recordatione dulcedinis domus paternæ, & bonorum amissorum, & consideratione præsentis miseriarum. Quot, inquit, mercenarij in domo patris mei sunt, qui abundant panibus, & ego extingor fame? Sic de populo Hierosolymitano dicitur Lament. c. 1. Recordatur Ierusalem dierum afflictionis suæ, & indigentiarum suarum, omnium desiderabilium suorum, quæ fuerunt à diebus antiquis. Quod ad Mercenarios attinet, non est ita extendenda allegoria, ac si in regno cælorum essent mercenarii. Nam ibi omnes sunt filii gratiæ adoptati: sed sic fieri potest applicatio.

Quod vel minimi quicq; & abiectissimi abundant consolationibus in Dei domo, & sunt meliori loco, quam qui sunt extra Ecclesiam. Sic David Pl. 84. Malo esse in limine domustue, quam in tentoriis impiorum.

Inane prorsus argumentum est Pharaonis & Pharisæis nihil ille timor profuit, non est igitur vili salutaris. Agnitio peccati Pharaoninon profuit; nam peccasse se crebrius fatetur. Sed mox ad ingenitum redit, ergo non profuit prodigo. Profunt illa non perficendo penitentiam, sed aditum aperiendo. Adolescens ille non incipit ab amore patris, sed timore mortis, hinc fame pereor: nec amor panum mercenariorum erat charitas patris, dolor bonorum amissorum non est charitas vera: non enim alium amat amore amicitie, qui bona amissa deplorat, sed illa bona amore concupiscentiæ sibi amat. Prodest ergo timor servilis, cum inde animus percellitur, sed Dei gratiâ ad sperandam, amandumq; erigitur: non prodest, cum desperatione deprimit, aut charitate obruit, ne ad evitacionem imminentis mali enitatur. Imo ipsam poenam Calvini vtilem esse ait.

Deniq; hinc notandum, Calvinum hoc loco penitentiam vocare, non respicientiam, imo dolorem requirere, contra quem Beza, aliiq;. [Hic pars altera penitentia notatur: nempe sensus peccati cum tristitia & pudore coniunctus, nam cui non dolet peccasse, & sua culpa ante oculos non versatur, quidvis potius tentabit, quam ut ad bonam frugem redire cogitet. Penitentiam ergo necesse est ut præcedat duplicentia.]

CAPVT XVI.

DICEBAT autem & ad discipulos suos: Homo quidam erat dives, qui habebat villicum: & hic defamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius. 2. Et vocavit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te: redde rationem villicationis tuæ: iam enim non poteris villicare. 3. Ait autem villicus intra se: Quid faciam, quia Dominus meus auferit à me villicationem: fodere non valeo, medicare erubescio. 4. Scio, quid faciam, ut, cum amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos suas. 5. Convocatis itaq; singulis debitoribus Domini sui, dicebat primo: Quantum debes Domino meo? 6. At ille dixit: Centum cados olei. Dixitq; illi: Accipe cautionem tuam, & sede cito, scribe quinquaginta. 7. Deinde alii dixit: Tu vero quantum debes? Qui ait: Centum coros tritici. Ait illi: Accipe literas tuas, & scribe octoginta. 8. Et laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset: quia filii huius sæculi prudentiores filijs locis in generatione sua sunt. 9. Et ego vobis dico: facite vobis amicos de mammona iniquitatis: ut, cum desereritis, recipiant vos in æternatavernacula. 10. Qui fidelis est in minimo, & in maiori fidelis est: & qui in modico iniquus est, & in maiori iniquus est. 11. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis, quod verum est, quis credet vobis. 12. Et si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis? 13. Nemo servus potest duobus Dominis servire: aut enim unum odiet, aut alterum diligit: aut vni adharbit, & alterum contemnet: non potestis Deo servire, & mammona. 14. Audiebant autem omnia hæc Pharisæi, qui erant avari, & deridebant illum. 15. Et ait illis: Vos estis, qui iustificatis vos coram hominibus: Deus autem novit corda vestra: quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum. 16. Lex & Prophetæ usq; ad Ioannem ex eo regnum Dei evangelizatur, & omnis inultud vim facit. 17. Facilius est autem cælum & terram præterire, quam de lege unum apicem cadere. 18. Omnis, qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, macchatur: & qui dimissam à viro ducit, macchatur. 19. Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura, & bysso, & epulabatur quotidie splendide. 20. Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, ulceribus plenus. 21. Cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis, & nemo illi dabat: sed & canes veniebant, & lingeabant ulcera eius. 22. Factum est autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahe. Mortuus est autem & dives, & sepultus est in inferno. 23. Eleuans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham à longe, & Lazarum in sinu eius. 24. Et ipse clamans dixit: Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. 25. Et dixit illi Abraham: Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala, nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. 26. Et in his omnibus miserere nos, & vos chaos magnum firmatum est: ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neq; inde hinc transire. 27. Et ait, Rogo ergo te pater, ut mittas eum in domum patris mei. 28. Habeo enim quinque fratres: ut testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum. 29. Et ait illi Abraham: Habent Moysen & Prophetas audiant illos. 30. At ille dixit: Non Pater Abraham: sed si quis ex mortuis resurrexerit, credent. 31. Ait autem illi: Si Moysen, & Prophetas non audiunt, neq; si quis ex mortuis resurrexerit, credent.